



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1786**

**VD18 90119355**

§. 10. Caroli Columnæ Cardinalis decessus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67878)

fectisque ultimæ voluntatis suæ tabulis Sæc. XVIII.  
 Felicem Spinolam Fratrem suum hæ- A. C. 1739.  
 redem ex asse instituit, largamque elec-  
 mosynam pauperibus reliquit: Exple-  
 verat annum ætatis suæ septuagesimum  
 primum, Menses septem & dies duo-  
 decim: sepultus in Ecclesia Parochiali  
 S. Salvatoris de Capellis.

§. X.

*Caroli Columnæ Cardinalis  
 decessus.*

Hunc quoque annum vitæ suæ postre-  
 mum habuit Carolus Columna II.  
 ex antiquissima, regibusque affine Co-  
 lumnensi gente ortus. Patrem habuit  
 Laurentium Onuphrium, Comitem Pal-  
 liani & Neapolitani Regni Magnum  
 Comestabilem, Matrem vero Mariam  
 Laurentiam Manciniam Mazarini Car-  
 dinalis Neptem. Carolus egregiis na-  
 talibus parem nactus educationem Ro-  
 mæ humanioribus literis operam nava-  
 bat, inde Mediolanum profectus cul-  
 tiores Italix Urbes peragravit. An-  
 num egit ætatis vigesimum, cum inter  
 Protonotarios Apostolicos connumeratus,  
 ab Innocentio XIII. decimo quarto post  
 anno Pontificiæ Domui præficeretur,  
 ac tandem a Clemente XI. Romana  
 Purpura decoratus, quinque Patrum  
 cæti-



Sæc. XVIII. cætibus adscriptus quidem erat, po-  
A. C. 1739. pacata tamen animi sui indole a publicis  
 negotiis, & politicis curis, quantum licuit, sollicitè abstinuit; nihil enim  
 tranquilla vita, privata exercitatione ac librorum lectione ipsi potius  
 erat, ac unica contentus, ut vocantur præbenda, ex Ecclesiæ bonis ditescere  
 abhorruit, parem tamen, nisi superiorum rem cum locupletioribus Purpuratorum  
 cultum, ac magnificentiam sui generis, honorisque prærogativa dignam  
 in omnibus rebus adhibere consuevit. Id præcipue patuit, dum die decima  
 Augusti anno hujus sæculi vigesimo primo in suo Palatio nocturnum musicorum  
 concertum, confluentibus cunctis primæ Nobilitatis Proceribus, & viginti  
 quinque Cardinalibus summo splendore haberet, quamvis extrema gaudii  
 gens occuparet luctus; exorta enim inter famulos rixa, & accurrente mag-  
 ni populi frequentia porticus muro innixa corruit, ex cujus ruderibus non  
 pauci misere oppressi, pluresque graviter faucii post aliquot horas perierunt.  
 Porro cum ceteris Cardinalibus Columna comitia celebravit, in quibus  
 ad Innocentii XIII. & Benedicti XIII. & Clementis XII. electionem suum tulit  
 suffragium. Jam tum de eo in Papam eligendo agebatur, in eumque Cæsa-



Sæc. XVIII.  
A.C. 1739.

reorum, aliorumque Cardinalium vota, plebisque Romanæ desideria collineabant; id etiam significatum nonnulli credebant populari Malachiæ symbolo: *Columna excelsa*, cujus occasione hoc carmen vulgabatur:

*Fulciet ecce Petri sedem præcelsa  
Columna,  
nam tantæ par es, Magne Columna, rei.*

Verum obicem posuerunt Cardinales Gallorum partibus addicti, aliique Columnensis gloriæ æmuli, e quorum livido prorsus calamo varii profluxerunt libelli famosi; jam enim fingebantur colloquia inter ambos Cardinales Columnam, & Falconerium, ex quibus postremo sciscitanti, *quis futurus esset hæc Pontifex*, ambo respondisse introducebantur: *si Spiritus in hac electione primas partes habuerit, erit quidam Sanctus, si Diabolus, unus ex nobis*: jam alio otiosi ingenii commento præfagebatur, Columna in Papam electo Abbatem Vertunelli alterum Cosciam, & Papam alterum Benedictum XIII. fore. His nugis longe superior erat Columnæ animus, qui a laboriosæ hujus dignitatis ambitu multum alienus postremis vitæ suæ annis in assidua rerum cælestium meditatione versari in delitiis habuit, aliunde vero acutissimis cal-



Sæc. XVIII. calculi doloribus cruciatus, nonnulli  
 A. C. 1739. felicem ex hac vita exitum ardentissi-  
 me anhellabat; unde omnibus morien-  
 tium subsidis munitus, anno ætatis  
 suæ septuagesimo quarto die octava Julii  
 placidissime post vitam integerrime ex-  
 actam obiit: Corpus ejus maxima  
 qua decuit, pompa in Ecclesia SS. Apo-  
 stolorum elatum, ac demum ad Late-  
 ranensem Basilicam translatum in gen-  
 titio suæ familiæ sepulcro terræ man-  
 datum est.

## §. XI.

*Alvari Cardinalis de Cienfuegos  
 fata.*

Postremus ex Cardinalibus hoc anno  
 denatis erat Alvarus de Cienfue-  
 gos, in Asturia natus. Hic impensis  
 Parentum cura tam in Christianæ vitæ  
 præceptis quam literis probe institutus,  
 in Societate per plures annos Philo-  
 sophiam & in Universitate Salman-  
 ticensi Theologiam & Rhetoricam pro-  
 fitebatur: Quoniam vero politicis arti-  
 bus probe instructus esset, pulveris  
 scholastici fordes pertæsus, in domesti-  
 cum Thomæ Comitis de Henriquez &  
 Malgar magni Hispaniæ Architalam  
 Theologum adoptari curavit, cumque  
 hic idem Comes Caroli III. Austriæ  
 Archi-